

feri etc. Cæterum in utraque responsione aliquid transmisimus; quia alibi examinatur, an peccatum vitari possit sine gratia divina aut charitate.

270. *Nec dicas* 6°. Quæ aguntur pure ex metu, secundum se spectata sunt involuntaria, prout vero hic et nunc aguntur, sunt voluntaria, atque adeo ex utroque mixta; ergo agens pure ex metu voluntatis actum conjunctum et præsentem habet, quo nollet facere, nisi impendentis mali metu cogeretur. Utrumque ostenditur ex AUC. in Comment. ad epistolam ad Galat. n. 43. *Qui per charitatem servit libere servit obtemperans Domino, cum amore faciendo quod docetur, non cum timore quod cogitur; et superius: Timore ista implere cogebantur.*

R. D. A. Quæ fiunt ex metu, sunt involuntaria quoad affectum efficacem N. quoad affectum inefficacem *subd.* si affectus etiam tantum inefficax obstat fini per actionem vel omissionem ex metu imperatam obtinendo N. si non obstat C. Porro patet, ex dictis, affectum peccati inefficacem etiam obstare fini intento a metuente gehennam. *Tectus* AUC. agit de specie timoris cum voluntate peccandi interna conjuncti, licet exterius a peccato abstinens, de qua nobis sermo non est, neque ad nostram materiam est transferendus; cum TRID. Sess. 14. cap. 4. contra Novatores simili argumento utens dixerit: *Falso docent, contritionem, quæ attritio dicitur, et ex gehenna ac pœnarum metu concipitur, esse extortam et coactam, non liberam et voluntariam; et can. 5. definierit: Si quis dixerit... illam, nempe attritionem ex metu pœnarum conceptam, esse dolorem coactum et non liberum ac voluntarium: anathema sit.*

ARTICULUS III.

AN DETUR IN HAC VITA PERFECTIONIS STATUS, IN QUO ACTUS SPEI THEOLOGICÆ NON SIT NECESSARIUS, AUT LOCUM NON HABEAT?

271. *Nota I.* Supponimus 1°. spem esse necessariam necessitate *medii*: tum quia hoc sequitur ex necessitate fidei, utpote quæ foret inanis sine spe, unde ad Hebr. 11. definitur in ordine ad spem, et frequenter in Scriptura cum spe conjungitur: tum quia partim adultus peccator sine spe justificationem obtinere nequit; cum illa inter necessarias ad hanc dispositiones a TRID. Sess. 6. cap. 6. fuerit numerata: partim quia justus, seclusa spe, gratias ad perseverandum in bono necessarias nec postulare, ut par est, nec proinde assequi valet. 2°. Eandem esse necessariam necessitate *præcepti* tam naturalis quam divini. Præceptum naturale enim sequitur ex *primo* supposito; cum lex naturæ præcipiat, ut media ad salutem ac finem ultimum necessaria adhibeamus: divinum autem demonstrant tum expressa in Scriptura mandata Psal. 61. 9., Eccli. 2. 26., Ose. 13. 6., 1. Petr. 1. 13.: tum prop. ab ALEX. VII. damnata: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei, spei et charitatis, ex vi præceptorum divinatorum ad eas virtutes pertinentium.* 3°. Spei præceptum *negativum* obligare pro semper; *affirmativum* autem aliquando per accidens. Prius enim docet ipsa negativi præcepti conditio, et materia etiam præcepti exigit, quæ est desperatio motivo spei opposita, et temeraria præsumptio nunquam licita, tanquam intrinsece mala: posterius declarat tum speciale præceptum spei obliga-

tionem eliciendi hujus actus per se, tum ejus ad alia virtutum necessariorum exercitia necessitas obligationem illam per accidens inducens.

272. *Nota II.* Necessitatem ejusmodi negarunt exorti superiore seculo novi Mystici, a quiete ac indifferentia animæ dicti *Quietistæ*, qui certum perfectionis et amoris statum confinxere, ubi spes locum habere nec possit nec debeat. Auctor hujus doctrinæ, spurcissimis erroribus amplius depravatæ, fuit *Michael de Molinos*, presbyter Hispanus, in pago Maniozzo Diœcesis Cæsaraugustanæ in Aragonia an. 1640. natus, et Romam an. 1665. profectus: ubi sermone, litteris et libro *Dux spiritualis* inscripto, perniciose mysticæ suæ scholæ dogmata sparsit, postmodum non in reliquam duntaxat Italiam, sed et in Hispaniam et Gallias perlata. Eorum *quasi principium* erat, internam viam seu vitam spiritualem stare in annihilatione potentiarum animæ, quæ in nullo se debeat active gerere; in perfecta cum Deo unione, quam anima, illa annihilatione ad principium suum et originem redeundo, consequatur; in totali sui derelictione et traditione, qua Deum solum omnia agere sinat, et quæcumque circa se fieri non curet. Inde inferebatur 1°. studendum unice orationi quietis tanquam perfectissimæ, in qua per fixum fidei intuitum, qui sit cognitio à Deo solo creaturæ tradita, habeatur contemplatio Dei sub conceptu universalissimo, et excludatur tum omnis reflexio, discursus et operatio mentis, tum voluntatis etiam quicumque affectus pius; absitque tum memoria attributorum Dei, Trinitatis et Humanitatis Christi, tum phantasia imaginum, figurarum et specierum quarumcumque etiam sanctarum. 2°. Nihil a Deo petendum, et hinc etiam pro nullo gratias agendas; nullam ullius rei etiam virtutis, perfectionis, sanctitatis et salutis propriæ curam habendam, et hinc ab actibus virtutum et operibus bonis, ex propria electione et activitate factis, abstinendum; non reflectendum ad dubia quæ de opere occurrunt, aut ad proprios etiam defectus, et hinc confessionem ac pœnitentiam omittendam. 3°. In tentationibus tam solarum cogitationum quam operationum, sive dæmonis instinctu a proprio corpore, sive sollicitatione aliena factarum, nec externe nec etiam eliciendo actus virtutum oppositarum, interne resistendum positive, sed tantum negative et in sua annihilatione permanendo. Ne citius doctrinæ hujus perversitas, et ex ejus praxi renovata antiquorum *Gnosticorum* impuritas detegeretur, fecit tum ambiguus Magistri in docendo sensus, et hypocrisis in agendo famam pietatis et auctoritatem adeptæ, tum discipulorum nequissima arcani observatio. Demum tamen indicis captis, an. 1685. *Molinos* cum duobus fratribus germanis cognomine Leonibus Romæ inopinate detentus, ejus doctrina 68. propositionibus comprehensa, anno 1687. die 28. Augusti, Bulla, quæ incipit: *Cælestis Pastor*, tanquam hæretica, suspecta, erronea, scandalosa, blasphemata etc., ipse vero ad carceres perpetuos 3. Sept. ab INNOC. XI. damnatus fuit; ubi editis pœnitentiæ ac resipiscentiæ signis, cum jam ante errores suos abjurasset, tandem 1696. obiit.

Venenum *Molinosismi* quoad partem aliquam suxerat in Gallia nobilis quædam Domina *de Guyon* nuncupata, corruptamque de vita spirituali ideam variis manuscriptis prodiderat; quæ cum ad manus Benigni *Bosuet*, Episcopi Meldensis, pervenissent, is, edito de Statibus Orationis libro, illusionum hujusmodi fallacias aperire, et mala inde oritura prævertere est

conatus. At ex adverso, sive in præfatæ mulieris defensionem, sive in doctrinæ, quam nullo infectam veneno existimabat, ampliorem apologiam, Archiepiscopus Cameracensis elucubravit opus, cui titulus : *Explication des Maximes des Saints sur la vie intérieure*. Auctor erat pietate non minus quam doctrina celeberrimus Franciscus de la Motte-Fénelon ex nobilissima Feneloniorum stirpe in Galliis an. 1651. ortus, post susceptum sacerdotium ad Huguenottos convertendos primum, tum ad conversos regendos adhibitus, Præceptor postea Duci Burgundiæ datus, ac tandem ad Archiepiscopatum Cameracensem evectus : doctrina vero jam damnatis in *Michaele de Molinos* erroribus admodum affinis ; cum admissus ibidem status quidam habitualis divini amoris et charitatis puræ excludat omnem actum et motivum proprii interesse seu commodi etiam supernaturalis ; exigit statum sanctæ indifferentiæ, in quo etiam partem inferiorem animæ percellere possit desperatio, regnante apud superiorem charitate ; faciatque animam in virtutum exercitatione non minus ac contemplatione fere passivam. Quare et præfatus liber damnatus, et 23. propositiones inde excerptæ, an 1699. die 12. Martii ab INNOC. XII. Bulla, quæ incipit : *Cum ad Apostolatus Nostri notitiam*, edita, fuerunt proscriptæ tanquam temerariæ, scandalosæ, male sonantes, piarum aurium offensivæ, in praxi perniciosæ, ac respectively erroneæ. Hoc Ecclesiæ iudicium quemadmodum humanæ fragilitatis in summo viro documentum exhibuit, sic et protulit pulcherrimum debitæ erga Ecclesiam humilitatis et obedientiæ exemplum. Adeo enim illustrissimus Præsul damnationem suam sincera cum pœnitentia et submissione suscipere non erubuit, ut ipse Pontificium Diploma suo gregi promulgavit, et edicto fuerit obtestatus, ne quisquam librum suum legeret aut servaret, sed sinceram obedientiam et intimam docilitatem secum Apostolicæ Sedi exhiberet. Cujus etiam virtutis deinceps dum viveret, plura documenta edidit, tandem an 1715. pientissime defunctus. Fœminam vero memoratam, vanis deceptam illusionibus, vel ad radicem mali destruedam, vel ad occasionem eripiendam iudicatum est recludere.

Porro propositiones huc spectantes præcipuæ sunt, MOLINOSI quidem 1^a. : *Non debet anima cogitare aut præmium, aut pœnam, aut paradysum, aut infernum, aut æternitatem*; et 12^a. : *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de inferno, nec de paradiso; nec desiderium debet habere propriæ perfectionis, nec virtutis, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, a cujus etiam spe purgare se debet*. Similes fere sunt 13^a. et 14^a. Cameracensis vero sunt, 1^a. : *Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura sine ulla admixtione proprii interesse : neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem : non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam*; et 2^a. : *In statu vitæ contemplativæ seu unitivæ amittitur omne motivum interessatum timoris et spei*; quibus correspondent 4^a. et octo continua serie subjectæ.

273. Dico. Non datur perfectionis status, in quo actus spei theologicæ locum non habeat, aut non necessarius sit.

Prob. 1^a. p. Scriptura describens perfectionis statum, et requisita ad hominem perfectum proponens, desiderium ac spem salutis huic descriptioni ac

requisitis inserit; ad Rom. 12. 9. *Odiētes malum, adhærentes bono : charitate fraternitatis invicem diligentes : honore invicem prævenientes : sollicitudine non pigri : spiritu ferventes : Domino servientes : spe gaudentes* etc. 1. ad Cor. 13. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc*; ad Philipp. 3. 14. *Ad destinatum persequor, ad bravium supernæ vocationis in Christo Jesu. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus*; ad Coloss. 1. 22. *Nunc autem reconciliavit in corpore carnis ejus per mortem, exhibere vos sanctos et immaculatos et irreprehensibiles coram ipso : si tamen permanētis in fide fundati et stabiles et immobiles a spe Evangelii*; 1. ad Thess. 5. 8. *Nos autem, qui diei sumus, sobrii simus, induti lorica m fidei et charitatis, et galeam spem salutis*; ad Tit. 2. 11. *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri, erudiens nos, ut abnegantes secularia desideria, sobrie et juste et pie vivamus in hoc seculo, exspectantes beatam spem* etc.; ad Hebr. 3. 6. *Christus fidelis erat tanquam filius in domo sua : quæ domus sumus nos, et fiduciam et gloriām spei usque in finem firmam retineamus*; et ibid. 10. 22; ergo in hac vita non datur christianæ perfectionis status, in quo actus spei theologicæ locum non habeat.

Conf. 1. Viri in Scriptura a perfectione et amore in Deum celebratissimi foverunt actus spei theologicæ proprie talis, quales fuerunt in V. T. ABRAHAM, de quo ad Hebr. 11. 10. *Exspectabat fundamenta habentem civitatem, cujus artifex et conditor Deus*; MOYSES, de quo ibid. v. 26. *Aspiciebat in remunerationem*; DAVID, qui de se ipso Psal. 118. 112. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem*; in N. T. PETRUS, qui 1. ep. 1. 3. scribit : *Benedictus Deus et Pater D. N. J. C., qui secundum misericordiam suam magnam regeneravit nos in spem vivam, per resurrectionem Jesu Christi ex mortuis*; PAULUS, qui ad Rom. 8. 25. inquit : *Sed et nos ipsi primitias spiritus habentes, et ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemptionem corporis nostri : spe enim salvi facti sumus*; JOANNES, qui 1. ep. 3. 2. dicit : *Nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit quid erimus : scimus, quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est. Et omnis qui habet hanc spem in eo, sanctificat se, sicut et ille sanctus est*; ergo ratio status perfecti non impedit actum spei theologicæ : nec datur perfectionis status in hac vita, ubi spes theologica locum non habeat.

Conf. 2. Si quis perfectionis status foret, qui spei non permetteret locum, ergo id oriretur vel ex spei imperfectione, vel ex charitatis puritate, vel ex indifferentiæ circa propriam salutem necessitate; sed nihil ex his assignatis dici potest : non *primum*; quia licet actus spei theologicæ sit minus perfectus actu charitatis, est tamen honestus, supernaturalis et vere theologicus : non *secundum*; tum quia actus spei cum actu charitatis potest in eodem subjecto conjungi, et homo, cui tanquam subjecto beatitudo desideratur, seipsum potest referre ad Deum tanquam finem suum ultimum : tum quia, tametsi actus charitatis tendat in Deum propter bonitatem ejus absolutam, non vero respectivam et nostri perfectivam, tamen neque in statu perfectionis omnis voluntatis actus debet esse ex charitate elicitus; neque presentis vitæ status, in quo amor concupiscentiæ licitus partem nullam habeat, S. BERNARDO videtur possibilis, qui L. de dilig. Deo c. 15. n. 39. sic scribit : *Nescio si a quoquam hominum quartus (gradus) in hac vita perfecte*

apprehenditur, ut se scilicet diligat homo tantum propter Deum. Asserant hoc si qui experti sunt: mihi, fateor, impossibile videtur. Erit autem procul dubio, cum introductus fuerit servus bonus et fidelis in gaudium Domini sui: denique non tertium; tum quia hujusmodi indifferentia nec est ad perfectionem necessaria; cum nullum de ea præceptum aut naturale aut positivum exstet, et fatente Cameracensi in prop. 22. nihil de ea a Pastoribus antiquis sit propositum passim multitudini fidelium; imo hæc doctrina tum Scripturæ tum Traditioni, præceptum spei et curam salutis omnibus universim inculcanti, sit contraria: tum quia est pernicioza; utpote quæ omne laboris salutaris studium extinguit, inertiam fovet, et ad præsumptionem ac præcipitium ducit: tum quia est fanatica; cum singularis deceptio sit, animam puro amore affectam etiam desperando ac se reprobam invincibili persuasione credendo, superiori parte sponso adhærere, inferiore autem expirare cum Christo, ut prop. 9. et 10. exponit Cameracensis.

Prob. 2^a. p. Spes est necessaria tum necessitate medii, tum necessitate præcepti tam naturalis quam divini, quod ut affirmativum aliquando et per se et per accidens obligat; ergo nequit dari perfectionis status, ubi spes simpliciter necessaria non sit.

Conf. 1. Jubentur omnes ad beatitudinem aspirare, juxta illud Matth. 6. 9. Sic ergo vos orabitur..... Adveniat regnum tuum; eandem quærere, ibid. v. 33.: Quærite ergo primum regnum Dei; pro eadem operari, juxta illud 2. Petr. 1. 10. Magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis: sed hæc sine spe ac desiderio non fiunt; ergo.

Conf. 2. Mandatum charitatis divinæ præcipit ut quisque diligat proximum sicut seipsum; de quo Aug. serm. 43. de verb. Dom. (al. serm. 128. c. 3. n. 5.) ait: Prius vide si jam nosti diligere teipsum; et committo tibi proximum, quem diligas sicut teipsum. Si autem nondum nosti diligere te; timeo ne decipias proximum tuum sicut te; ergo sicut ex mandato charitatis nobis præceptum est desiderare salutem proximi, pro eodem orare ac laborare; sic et idem præceptum est respectu nostri, nostramque nobis salutem desiderare et curare debemus; ergo spei theologice actus nobis necessarius est. Unde Aug. in Psal. 122. n. 1. scribit: Non præter spem esse debemus; et serm. 16. de verb. Apost. (al. serm. 158. c. 8. n. 8.) Ipsa spes peregrinationi necessaria est....., Et spes quæ hic est, ad justitiam pertinet peregrinationis nostræ.

Si ais 1^o. Juxta Apost. 1. ad Cor. 13. 5. Caritas non quærit quæ sua sunt: sed si quæreret proprium interesse, quæreret quæ sua sunt; ergo. 2^o. S. BERN. loc. cit. ait, peccatorem, cujus voluntatem gratia prævenit, a timore incipere, tum in spem erigi; ac tandem subdit: Inde transit ad tertium gradum, ut diligat Deum; non jam propter se, sed propter ipsum: sane in hoc gradu diu statur; ergo datur in hac vita status habitualis amoris puri. 3^o. Moyses Exod. 32. 31. precatur: Obsecro, aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Paulus vero ad Rom. 9. 3. ait: Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis; ergo perfecta caritas etiam propriam reprobationem amori postponit.

Ad 1^{um}. R. D. M. Caritas modo inordinato non quærit quæ sua sunt C. nullo modo quærît subd. caritas ipsa seu qui ex charitate agit, solo Dei

intuitu in hoc suo actu movetur C. Qui habet charitatem, quodcumque et quodcumque agit, ex hoc motivo operatur N.

Ad 2^{um}. R. D. Cons. In hac vita datur status habitualis amoris puri, h. e. excludens ab amore Dei aliquo motivum proprii interesse C. excludens ab ipso amante et ab actibus ejus omnibus motivum propriæ utilitatis N. Primum cum BERN., et omnibus Catholicis asserimus: secundum vero cum eodem Doctore et cum Catholica Ecclesia, damnationem propositionum Molinosi et Cameracensis reverenter amplexa, reprobamus.

Ad 3^{um}. R. N. Cons. Ex neutro enim textu Quietistarum error patrociniū capit. Nam sensus primi vel idem est cum altera Moysis locutione Num. 11. 15. Sin aliter tibi videtur, obsecro, ut interficias me, ne tantis afficiar malis; et hinc Moyses solum deleri se ex libro viventium in præsentī vita, morteque immatura abstrahi cupit; quem sensum usurpant HIER. in ep. 121. ad Algas. c. 8., S. GREG. L. 9. MOR. c. 7. (al. 16. n. 23.) et alii: vel si cum quibusdam intelligatur liber vitæ æternæ, de quo loquatur Moyses, et postularit suam reprobationem; aut hoc votum prolatum fuit ex passionis impetu, non vero ex deliberatione rationis, ut censet Hugo Vict.: aut erat hyperbolica quædam maximi affectus expressio ei similis, qua mater ad placandum maritum filio iratum diceret: occide me, si huic proli ignoscere nolis, quamvis certa sit, se non occidendam; quem sensum Aug. q. 147. supra Exod. videtur adplasse, dum ait: Securus hoc dixit, ut a consequentibus ratiocinatio concludatur: id est, ut quia Deus Moysen non deleret de libro suo, populo peccatum illud remitteret.

Utraque responsio aptari potest verbis Pauli; juxta ORIG. quidem in ep. ad Rom. L. 7. n. 13. (opp. t. 4. part. 1. p. 611. B. C.) ac HIER. l. c. vult Apostolus perire in carne, ut alii salventur in spiritu; suum sanguinem fundere, ut multorum animæ conserventur: juxta S. CHRYS. autem in ep. ad Rom. hom. 16. n. 1. et alios Patres ac Interpretes votum istud respicit separationem, non quidem a charitate Christi, sed ab ejus fruitione et gloria æterna; iidem tamen observant, in græco non extare optabam, sed optarim vel optarem, ἡσχόμην, nec votum intelligi posse absolute, sed hypothetice, si nempe fieri posset et liceret; unde sensus est: optarem pro Christi gloria ab eo separari, siquidem id per legem Dei et justitiam liceret: quibus in verbis non invenitur desiderium reprobationis aut actualis acceptatio ejusdem, sed amantium duntaxat emphasis atque hyperbolica affectus expressio, adeoque Quietistis minime prodest, qui votum ejusmodi absolutum ad probandam amoris puritatem, et habituale ad statum perfectionis et viæ internæ exigunt.

Quæ de subjecto et effectibus spei, vitiisque illi sive per excessum sive per defectum oppositis et variis contra eadem remediis hic solent ab aliis addita commentatione tractari; ea nos partim in superioribus attigimus, partim Theologiæ Morali persequenda relinquimus.